J. Bonnus.
De
Intaphernis voto. (Herod. III.)
et
fraternæ charitatis suavitate.


s. l. & a.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

48,-34
DA Box
LN 414
ex. 1
M
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Ἀναγραφὴ

*ſeu*

# DISCURSUS HI-
# STORICUS

*DE*

# *INTAPHERNIS*

*vxoris voto, quod apud Herodotum lib. 3. extat, Deq́;*

FRATERNAE CHARITA-
tis Suavitate,

*QUA GENTIS PROSAPIA,*
*qua mentis indole verè conſpicuis,*

D. D. GEORGIO SCHOV-
GARDT ET VVERNERO PARS-
BERRICH nobilibus
Danis,

*Dominis, amicisq́; fautoribus gratitudi-*
*nis & benivolentiæ ex animo teſtandæ*
*ergo*

dicatus

*A Iacobo Bonno Ripenſi Da-*
*no, jam jam patriam reſalutante.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

# AD IACOBUM BONNUM
## Danum Iuvenem moratiſs: Doctiſs:

COrporis ùt ſpecioſa tui floreſcit imago
Et vernant hilaris ora ſerena roſis:
Sic animi data, BONNE, tibi eſt concin-
na venuſtas: (bet:
Inque domo pulcrâ pulcrior hoſpes ha-
Non opus huic aliàs verbo documenta re-
Hic Intaphernis, quæ fero, Sermo probat. (quiri:
Cuique oculi pectusque valent, heic cernet apertas
Artis & ingenij judicijque notas.

VVitebergæ f.

*Fridericus Taubmannus*
*P. L. & Prof. P.*

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

O Flos Pieridum dilecte, ſalaria Phœbo
Non moritura ferens, totus jam geſtio lucos
Laudibus ire tuos, apis inſtar geſtio florum
Pharmaca, non diris expoſta furoribus Auſtri,
Delibare: Mihi titubanti ſuggeret at quis
Fulcrum? quisve manus? provincia viribus impar
Omnimodè cum ſit: ſurgent res unde canenti?
Res auguſta meis cum ſit vicina Camœnis.
Geſta Ducum celebrans nocturna in lumina Clio
Si me Mœonio ditaſſet carmine; promptus
Si me conſiliis prudens muniret Vlyſſes;
Innata Neſtor ſi maieſtate loquendi;
Penſiculare potis vix eſſem pectine tanta:
Num ſiccis igitur ſunt prætereunda cothurnis?
Abſit: ubi noſtræ ventorum fulmina vires
Naufragiũq; timent, mulcenda favore voluntas.
Ergo caballinis, quales innupta corona
Aonidum, rivis juvat exhaurire liquores?
Illis illa placent, his hæc meliora videntur;
At votum nobis Satrapiſſæ perplacet, heros



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Quam ſibi connubij nexu ſociavit amico
Perſa INTAPHERNES, generoſo ſtemmate cretus.
Mos Orientali fuit acceptiſſimus orbi
Lactanti Perſas Cereris bonitate colonos,
Obſcuræ tantùm non conditionis alumnis;
Sed Satrapis etiam belloq́ue, togaq́ue peritis
Vi, virtute, minis, aditum interdicere, ſuaves
Amplexus Veneris ſummo exercente Tyranno,
Dux Intaphernes de percuſſoribus unus
Magorum, ficto SMERNIS ſub dæmone, faſces
Imperiale ſimul technis diadema tenentum,
Ingens ob facinus præclaros obq́ue triumphos,
Legibus, unanimi Satraparum voce receptis
Immunem ardenti fremitus ſe jactitat æſtu.
Cur? impendebant cervici triſtia fata.
Sic opus aggreditur tragicum, lacrumabile dictu,
Concubitu indulgens, licitos & corpora in actus
Rex veneris ſolvens, aſſueti obſidere turres
Eunuchi excubiis, ſubierunt munia ad unguem.
Omnem Intapherni temptori legis avitæ
Occluſere viam, cupienti tranſitum in arcem,
Dicendo: Legum majeſtas militat utrum

Partibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

*Partibus à veſtris ? nequicquam; tu tamen inſtas*
*Inclute Dux armis ? cur non contenta quiete eſt*
*Mens ? placidè Regni caput en vxoria tractat.*
*Infelix nimium, ratus ipſos mella veneno*
*Immiſcere, ruit ſubitò in vetita arma, furorem*
*Cuſtodes rabidi canis haud ſufferre valebant,*
*Queìs enodato præcidit acinace nares,*
*Quìs ſimul auditus mutilatos fecit honores.*
*Ob ſcelus admiſſum Rex pectore multa Darius*
*Ambiguo volvens taciturnas noctis in horas,*
*(Tanta putabat enim ludibria, vulnera tanta*
*Communi procerum conſenſu illata miniſtris,)*
*Autorem facti tandem perducier aras*
*Supplicij ad pullas juſſit, ſobolemq́ novellam.*
*Hinc domus interior variis fit onuſta procellis;*
*Fœminei feriunt hinc lucida ſidera planctus;*
*Hinc trepidà lactans errat cum matre propago*
*Tectis, horreſcens duræ diſcrimina mortis.*
*Nil valuère tamen lacrumæ, nil vota, preceſq́,*
*Nil quoq; materno pendentis ab ubere nati*
*Ætas, interitum urgebat Rex percitus irà.*
*Fit via vi, poſtes velluntur cardine, porta*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Panditur, ad mortis rapiuntur tramitem, amicos
Quos obſervabat, quos olim ardebat amore
Hujus ſpectatrix inopinæ fœmina cladis,
Præſto futura viro, fratri, ſoboliq; tenellæ,
Crinibus expanſis prorumpit ab arce paternâ.
Illam animadvertens, propius quò vela reflectam
Ad metam, duplices ad ſidera celſa lacertos
Tollentem, largo lacrumarum rore cruentum,
Exitiumq; domus lugentem Perſicus heros,
Iram ſedando, tales erumpit in auras.
 Quas mulier nectis lymphas? clamore moleſta es
Auribus aſsiduo cur noſtris? offero talem
Spontè tibi ſortem; fidus fervoris Achates
Ecce maritalis vinctus deducitur aras
Ad meritas, natis; uno comitanteq; fratre.
Quem reliquis præfers? illæſum faucibus iri
Quem cupis è tetris? lecti num fœdere iunctum?
Num fratrem? numquid lactentium ab ordine quē-
Auribus excipiens bibulis matrona, dolorum (quam
Obruta turbinibus ſermones, farier inſit.
 Rex invicte, tuo mea ſors, mea vita, penates
Dependent nutu, mihi conſociatus amore

Vir

*Vir thalamo carus: ſic frater: ſicq; propago*
*Ventris; at è veſtrà mihi facta licentia cum ſit*
*Maieſtate, peto nullis ambagibus uſa,*
*Vitali meus hic donetur frater ut aurà:*
*Nam viduata viro mulier, ſuadente vigore,*
*Fœdera inire valet rurſus ſocialia, rurſus*
*Et genitale novo ſemen producere ab agro.*
*Hæc Regi, fateor, ſunt abſona; frater adacto hoc*
*In mortem, validis ſtantem quem cerno catenis*
*Vinctum, non alius ſupereſt, nam fata negarunt;*
*Maturà nimium perierunt morte parentes.*
*His mulier armis munita; Eſto immemor, inſtat,*
*Iræ, non ſemper fervent agitata procellis*
*Æquora, nec canis albeſcunt prata pruinis.*
*Æquoris interdum Neptunus cuſpide frænat*
*Murmura, ſæpe ſuum captivum continet antris*
*Robur, ſemineces meliori nectaris hauſtu*
*Irrorando ſinus, torpentes atq; colonos:*
*Sic neq; Rex mœſtis aures occludito ſemper,*
*Oblitus potius violati fœderis; uni*
*Huic culpæ Veniam fratri concedito, dixit.*
*Hæc mihi carminibus ſi pertexenda Duciſſæ*
*Vota*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

*Vota eſſent dignis, quis quæſo ferret egenti*
*Suppetias? nemo; noſtris non obvia Muſis*
*Ardua, verborum ſinuoſo torta cothurno.*
*Hìc etenim riguo, complectar ut omnia paucis,*
*Ponderis ambigui res tanquam fonte reſultant:*
*Scilicet an rectè recti defenſor & æqui*
*Fecerat, inſontes undas trudendo Charontis*
*Sulphureas, patris quos geſta nefanda latebant;*
*An firmis itidem fuerat rationibus aucta*
*Fœmina, adoptando fratrem donarier aurâ.*
*Poſthabito lecti comite & lactente catervâ*
*Nos vitaturi ſalebroſos hoſce viarum*
*Anfractus, anſam tantùm captabimus inde,*
*Pingendi vero fratrum ornamenta colore.*
*Felix Theſaurus* FRATRUM CONCORDIA,
*Irremeabilibus rubiginis invia; cunctas (ſquammis*
*Quas tenet amplexu ſpacioſo machina mundi*
*Divitias ſuperat, niveis vehiturq; quadrigis,*
*Conſona fraterno ſi vita ſit omnis amori:*
*Hoc opus arctatæ dubitet quis dicere pacis?*
*Cui comes eſt præſto juratus caſta voluptas,*
*Quam facundus amor fœcundo rore coronat,*

*Haud*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Haud ſecus ac liquidos fragrantia balſama ſuccos
In caput Aaronis diffundunt, vnde ſalubri
Imbre comas, barbam, limbumq́; togamq́; pererrant,
De ſe largifluos quò ſpiret corpus odores.
Hermonis intonſi montes uligine ſicut
Vernâ, prolificum faciunt penetrale Sionis.
Sic fœcunda facit fratrum quoq; pectora, tellus
Cui famulatur ovans & amœna palatia cæli,
Cum fraterna ſuos latè concordia frondes
Explicat, ac platanus revirenti brachia Vere,
Nubila ſeu fuerint præſto, ſeu tempora læta.
Omen in exemplis, veterum viridaria ſucci
Omnis plena juvat pingvi luſtrare Minervâ.
Se Metamorphoſis primo facit hoſpita noſtris
Intuitu Muſis; prognatus Agenore Cadmus
Serpentina videt dum victor colla, per auras
It ſonus altitonans: Qui de Serpente trophæa
Tanta reportavit, mira incrementa futuræ
Stirpis vipereos dentes ſupponat agellis.
Morigerus dicto, mortalia ſemina dentes,
Figit humo Cadmus, pedetentim tollere în altum
Incipit inde ſeges criſtas clypeata, pabretris

 Mox

*Mox humeri gravidis oneratąq; brachia ſurgunt.*
*Cætera proſiliunt ſimili producta tenore.*
*Viſa cohors lucem vitalem, cominus enſem*
*Enſe ferit, jaculis, jaculum penetrabile pellit,*
*Marte cadit proprio per mutua vulnera, vitæ*
*Deponitą; novos, modò quos acceperat, hauſtus,*
*Deflendo triſti funeſtam pectore matrem.*
*Hæc utrum vanis eſt obſita fabula nugis?*
*Phœbicolæ toto ſuffragia ferre recuſant*
*Conatu, vatum redolent abſcondita luſus*
*Pharmaca, nectar habent, latet inq; putamine nu-* (cleûs.
*Quid maculoſa phalanx uno producta parente*
*Deſignat: fratres uno genitricis ab agro*
*Productos; quales civilia prælia obumbrant*
*Vtilitatis opes? ſemper lethale venenum*
*Eſſe animos hominum diſcordes, eſſe viciſſim*
*Immortale decus, medicamen; pectore quando*
*Concentum æqualem reddunt duo corpora in uno.*
*Aſt ubi livoris* DISCORDIA *fulminat æſtu,*
*Non contenta domus manet unius urbis agrią;*
*Clade, nec ærumnis; multos ſervata per annos*
*Æquat regna ſolo florentia tabe veneni.*

*Quis*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Quis furor Oedipodum, quæ bella, fuêre ruinæ?
Immittens horum in ſegetem Diſcordia falces,
Corda adamantæis quæ combinata catenis
Extiterant, flammis flammas addendo volantes
Diſſociat, donec redeunt ad verbera, avito
De ſolio fratres bellum exitiale cientes. (anhelans
PERSEA quid referam truculentum? mittere
Dum feſtinat aquas Acherontis, tegmine vafri
Prætextus fratrem, longè generoſior ætas
Cui fuerat, raras ob dotes, pœna tumultu
Ocyor Auſtrino Macedonica ſauciat arva.
Romanos rerum Dominos ad bella laceſſans
Perſeus, Æmilio duce Paullo vincitur, hoſti
Præda laceſſito factus, ſpoliatur honore
Regali, forſan fuerant quæ fata requiras?
Digna virò, vitam claudens ſine nomine, nigro
Sulphure fumantem fugit indignatus ad orcum.
SPARTA Lycurgæis ergo dotata columnis,
Evitando faces, incendia, totq; ruinas,
Vno progenitos & eodem ſemine, pœnà
Mulctandos ſtatuit capitali, toxica livor
Latè fraternos ſi dilataſſet in agros.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Principis huc quadrant Numidarum vota My-
Qui moriturus ait; documenta tenete repoſta (cipſæ
Hæc mea pectoribus nati: non aurea aſylum
Sceptra duci pandunt, non turris ahenea, rebus
Largitur validum invalidis concordia robur.
Aſt ubi, vera loquor, motus concordia ſentit,
Exiliiq; vices patitur, mutatio facta eſt,
Quæ valuère cadunt lapſu graviore, vigorem
Quæ viguère, ſuum tranſmutant atq; nitorem.
Quæ jubar Auſoniæ ditionis dona Severus
Vicinus morti, pueriles torſit in aures?
Dona, omnes orbis facilè exſuperantia gazas.
Principio, fatur, denſis expoſta periclis
Scepta habuère manus noſtræ, pacata relinquo
Vobis illa, diu ſi vita remanſerit uno
Concors corde: vibrat ſua ſi Diſcordia tela,
Impacata, manent modò quæ pacata, manebunt.
Rara ſatis, præclara ſatis documenta, putaſſem
Felices ambos, hæc ſi præcepta parentis
Optima, germanis cordi herbeſcentibus eſſent.
Legibus Iliacos campos & Pergama frænans
Eumeines, nobis exemplo ſtante ſerenâ

Aurorâ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

•Aurorà, ſemen genitale fovebat amoris.
Mens eadem manſit, maris inſurgentibus undis.
Cum pennata gradu celeri volitaſſet ad urbes
Nuncia Pergameas, alienaq; limina mitem
Sublatum inſidiis Eumeinem, credulus atrâ
Attalus haud fratrem deflevit veſte, hymenæis
Aſſuetam caſtis, ſibi conſociavit amore
Fratriam inaſſueto, cum produxiſſet in actum
Talia, ſtipatus numeroſo milite, avarus
Contra omne arripuit fas, omne decusq; cathedrã,
Quâ frater lites quâ jurgia voce diremit.
Exitus inceſtus qualis? redeunte paternum
Eumeine in regnum, ſteterunt horrore capilli,
Euro inſtar celeri, peregrina palatia præſes
Deſerit, illicitos Veneris reſtingvit & ignes,
Omnia germano redeunti fauſta precando.
•Attalum in affinem trangreſſæ pacis, edaces
Protinus irarum flammas non exſpuit, ac ſi
Præditus hoſtili fervore, ſed immemor omnis
Acceptæ labis, tacitam hanc tranſmiſit in aures
Fraternas auram: Cur Attale fœderis, inquit,
Tranſgreſſor, ſedes fœdaſti labe paternas?



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Ne pete connubio coſtam ſociare jugali,
Quam fortuna mihi conceßit; neve virentem
Ante diem capiti demens impone coronam.
Quæ properanter aves, habeas, ſervesq́;, ſeniles
Quamprimùm gelidus ſudor penetraverit artus.
Ibo per exemplum, veſtigia ritè prioris
Harmoniamq́; ferens; nulli pietate ſecundus
Veſpaſianiades, ſibi cum manifeſta videret
Damna, venenatos & mille pararier ictus
Producente faces in flammas Domitiano,
Imperij verus numquid compeſcuit hæres
Marte cohæredem? tenebroſo carcere numquid?
Numquid morte, reum mortis mulctavit, honeſtis
Innixus caußis? non; vocibus undiq; odorem
Egregium de ſe ſpargentibus excipit hoſtem.
O mea ſpes, loquitur, mea vita, decusq́; voluptas,
Quid geſtare manus fraternâ ſæpius urges
Cæde cruentandas? tumido fervore tumultus
Quid tumidos agitas? hæc per ſuſpiria, perq́;
Vnum ſemen agro natura quod intulit uni,
Te rogo, ne cupias tales dominarier aulâ
Pectoris affectus, melius dominaberis illis,

Altius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

*Altius extollas oculos, incendia ſæpè*
*Maxima, trojano excudit ſcintillula caſu.*
*Non ego me vinci patiar probitate fideq́;,*
*Donec inauratos ſejunget Phœbus ab umbris*
*Obſcuris currus, eſt teſtis dextera, cor, mens.*
*Te ſine nulla meis quæretur gloria rebus,*
*Seu toga floreſcat, tuba ſeu prænuncia Martis:*
*Fac ergo te nulla dies his arguet auſis*
*Diſsimilem, fac nulla dies nos eximet ævo*
*Immemori, noſtris ſententia militat hortis.*
*Quæcunq́; æthereo circumgyrantur amictu,*
*Sunt aſſueta vices alternas ferre, corollas*
*Aſpice, ſtant roſeis revirenti tempore veris*
*Veſtibus induta, variantur at imbribus ortis.*
*Aſpice concretis quot aquis trux bruma rigeſcit,*
*Aſpice ut exuvijs pinus ſpoliatur amœnis,*
*Sidereos Aquilo cum verberat ictibus axes:*
*At mihi lethiferis poſt corda petita ſagittis*
*Conſtans turget amor, mutas crudelia ſi non*
*Corda; mihi quare mutantur mitia corda.*
*O memoranda ducis moderatio rebus in arctis;*
*O doctrina pijs pia nobilitata triumphis,*

*IncendI*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Incendi flammas orituras viderat heros,
Si technis technas voluiſſet & ignibus ignes
Addere; Si facinus frænaſſet carceris antro;
Si capitis mulctâ, Capitoli clade nepotum
Turritas amplis ſpoliaſſet honoribus ædes.
Præſtitit arte igitur, valuit præſtare quod harpe,
Hortando fratrem lacrumis, alimenta malorum
Ne daret illecebris, vel fraudi pabula, cujus
Triſtia cultores ſubière piacla. Philippus
Dentibus incaſſum livoris corpora rodens
Romulidum extincto juvenili ardore, videbat
Inteſtina domus incendia, ſæpe procellas,
Jurgia, ſæpè minas, poſtremo vulnera, cædes,
Dum frater fratris fuerat non tutus ab armis.
IULIA Curarum quantos experta, Severi
Clara toro, fluctus; quot luctus; quotve tumultus?
Innocuo Antonius patrios dum ſangvine poſtes,
Maternosq́; ſinus defœdat, ab ubere matris
Pendenten Getam, manibus tollendo cruentis,
Et quoq; cum fremitu ſtygias trudendo cavernas,
Quà ſiccâ pauci fugiunt ſine cæde tyranni,
Quorum lingva, pori, ſpirabant ſangvinis æſtus.

Eſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Eſt experta Lai quot, quãta tonitrua conjunx,
Fulmina quanta? opibus Regni dum pignora cer-
Infelix viridi vitæq́; orbarier hauſtu. (nit
Ne tamen exſurgant, veneris redolentia nullas
Delicias, nullos referentia nectaris imbres
Carmina in immenſum corpus, claudendo profanos
Iam rivos, greſſus per biblica flecto vireta.
Hactenus in medium deducta exempla theatrũ
Si nolint hominum radicem augere latebris,
Sacræ majeſtas ſcripturæ proxima cœlo
Augebit geminisq́; polis æquabit olympi.
Attribuit primas fraterno nonne calori
Partes? excelſos adſcripſit nonne triumphos
Omnibus? in quorum concordia corde triumphat.
Rerum opifex CHRISTUS, moderator, origo bonarũ,
Ambit honoriferis quem ſemper gloria pennis,
Declarare volens duodenum ſigna favoris
In cætum, fratres hos ordine nonne ſalutat?
At nunc criſtatas infeſta tyrannide Martis
Omnia cervices cur tollunt? robora curve?
Cauſſa in propatulo, nullis obducta tenebris.
Pro nihilo proceres ducunt mandata Tonantis.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

*Cur nunc Hungaricis rabies Otomana, jugisq;*
*Fulminat Auſtriacis curvo tot acinace in annos?*
*Congeriem certè ſcelerum pejoris ob ævi.*
*Optima nunc noſtris tentoria ſurripit atrox*
*Barbarus iſte, domat quot aheneis corpora habenis?*
*Quot, cum Pœonios numeroſo invaderet agros*
*Milite, Chriſticolum jugulis juratus & aris,*
*Fulmina prò belli delevit funere acerbo?*
*O dolor, ô gemitus, ſic quisquam forſitan inſtet,*
*Heu truculentus Arabs, quid tanta trophæa repor-*
*De noſtris? precio ſacroſancti ſanguinis ēptas (tas*
*Quid crudelis oves crudeli ſanguine mactas?*
*Barbara barbarico toties ſumus hoſtia quare*
*Sultano? noſter quibus eſt cataphractus ab Afro*
*Armis nuper eques fractus? quibus artibus; hoſpes*
*Quot peregrinus habet peregrina palatia? quotve*
*Oppida; qui trivijs equitant in arundine, norunt*
*Præforibus ſtat lerna mali* DISCORDIA: *venæ*
*Deterioris enim ſcelus omne irrumpit in antrum.*
*Exulat à noſtro pietas, concordia, candor,*
*Alma fidesq; foro, quorum induxère figuram*
*Inſidiæ, fraudes, ſceleratus & ardor habendi*

*Ante*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Ante diem patrios cineres mandare ſepulchro
Filius exoptat, fratrum concordia rara eſt.
Non gener à ſocero, non hoſpes ab hoſpitis haſtâ
Tutus, ab inſidijs neq; conjunx conjugis, ille
Exitio vxoris ſponte imminet, illa mariti.
Toxica tanta, diu ſocialibus hoſpita terris,
Nunc Mahometigenis Germanidos atria pãdunt.
Agria fœta viris armis, fulvoq; metallo,
In prædam ceſſit Mahometi, Turcicus agro
Horror Pannonio, jaurinum, mœnia Budæ.
Pœna gravis, pœnam ſuperant delicta, cupreſſus
Quantũ humiles ramis myrtos ſupereminet inter.
Hic ſcelerum radix longo qui durior uſu
Evaſit, quibus eſt telis trudendus ad orcum.
Non jaculis, non enſe, preces tegumenta miniſtrãt,
Quicquid erit, precibus vincendum; vota pharetras
Nequaquam curant. Domini incandeſcere vultus
Terribiles vidi, cum deteriora ſequentes
Peſtiveræ vellent ſeſſores eſſe cathedræ:
Rurſus inaccenſos irâ manſueſcere vidi
Vultus, cum reduces virtutum ſcandere colles
Mallent, quà pietas caput inter nubila condit.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

*Quà ſoror æquali* CONCORDIA *regnat honore.*
*Fac pater omnipotens ergo qui robore dextræ*
*Clara per amplexum mundi miracula ſpargis,*
*Vt via ſcandenti fiat reſeratior hortos*
*Hujus ad ambroſios montis; trux retia Serpens*
*Irrequietus enim collo mortalium adaptat*
*Nocte, ſoporifero ſomni cum corpus amictu*
*Velatur, ſpectris ludit, ſed poſtera quando*
*Aurora illuſtrat phœbeà lampade terras,*
*Spicula cote terit lethali tincta veneno,*
*Incautis cautus ſtruit auceps undiq; caſſes,*
*Nos quovis aſtu deguſtat, qualibet arte*
*Nos premit, officij tractos à tramite, quovis*
*Momento in fraudum ceſto allicit illice naſſam.*
*Hunc cæli, terræ, ſinuoſi atq; æquoris autor*
*Contere juratum miſeris mortalibus hoſtem;*
*Incrementa niſi dederis; nil cura, labores,*
*Nil mille excubiæ, ſignata nec atria proſunt.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 414 4° copy 1